

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Sedecias.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

denuncio, teque hoc anno vita defuncturum confirmo: quoniam tuis verbis deficiendi ab eo causa es.

SENTENTIA.

Mali doctores solent improbis fausta dicere, & quæ placeant. Boni contra. Hinc fit, ut boni invisi sint: mali amentur, & autoritate polleant. Veris Vatibus raro creditur ante eventum: præsertim si adsunt falsi Vates, qui veris contraria docent. Mali Vates dum pœnas improborum verbis leniunt, reipsa exasperant. Cum pervicacibus rixandum non est. Qui improbis blandiuntur, eos a Deo avocant.

SEDECIAS. Jereim. 38.

ARGUMENTVM.

Jeremias consulenter se Sedeciam, Ju-
dææ Regem, monet, ut se dedat Chaldæis
alioquin venturum & ipsum & Urbem in
miseram calamitatem.

Sedecias, Jeremias.

Volo ego te consulere super rebus meis, Jere-
mia: sed noli me quicquam celare. **J.** Reim
onnem tibi aperiam: sed ea conditione, ne me
interimas, neve consilium meum repudies. **S.** Per
Deum immortalem, qui nostros animos creavit,
non perimam te, neque tradam illis hominibus,
qui tuam necem cupiunt. **J.** Satis habeo: acci-
pe iam, quod sit Dei consilium. Si te contuleris
ad Principes Babylonios, & tuæ tuorumque vitæ
con.



160 DIALOG. SACRORVM

consules, & incendium ab Urbe depelles. Si minus, & Urbs Chaldæis dedita igni cremabitur, neque tu eorum manus devitabis. S. ^{a)} At enim valde metuo, ne me Chaldæi Judæis, qui ad ipsos transfugerunt, tradant omni irrisione ludendum. F. Non tradent, crede mihi: obtempera Dei monitis, cuius ego voluntatis interpres tibi sum datus, si te ipsum amas, tuæque saluti provides. Quod si te dedere renuis, hæc tibi divinitus denuncio: Omnes mulieres, supersunt in regia eductæ ad Principes Chaldæos, te in os indignissime irridebunt, ut circumventum & proditum a tuis necessariis, & in ipso cœno perfide destitutum. Tuæ autem uxores omnes & liberi, tradentur Chaldæis: neque tu eorum manum effugies, quin in manus Regis eorum venies, qui hanc quoque Urbem incendet. S. Vide, ne quis hæc resciat, ne tu pereas. Quod si Proceres audierint nostram congressionem, teque convenerint, rogantes, qua de re inter nos actum sit, & mortem minantes, nisi indicaveris, dices, te a me precibus petivisse, ne committam, ut in dominum Jonathanis reducaris ad miserabilem mortem.

SENTENTIA.

Veritas cum periculo dicitur. Imprudentes, dum levius aliquod malum inevitabile vitant, incurront in gravius, quod fuerat evitabile. Qui tollerabiles pœnas Deo dare recusat, eum incitat ad graviores.

DIALO-

a) Qui bene docentibus non obediunt, ii non metuenda metuunt: contraque metuenda non metuunt.



augebo. *Tobias.* Omitte timorem. Nam ego cum filio tuo, salvus cum salvo, & ibo & redibo. *Tobaeus.* Compara tibi, Tobia fili, quae ad profectionem sunt necessaria, & proficisci ceterum isto fratre. Deus omnipotens vos incolimes ducat & educat, & vobis hoc iter per diuinum Genii sui prosperet. *Tobias.* Valete, me parentes observandi. *Tobaeus.* Vale, & ambula prospere. *An.* Ohohohoh! *Tobaeus.* Quid fles? *An.* Rogas? Nihil ne vereris puerum abs te mittere, qui in oculis nostris obversando, nostram senectutem redderet leviorem? quasi vero non nos sine illo argento aliturus esset Deus noster. *Tobaeus.* Ne time foror; nam & prospere ibit, & incolumem ad nos reversum tu ipsa quis oculis aspicies. Deus ei noster Genius attribuet, qui ei iter bene fortunet, eumque salvum reducat. *An.* Eheu,

SENTENTIA.

Parentum est, filios docere pietatem. Priorum curam mandavit Deus genitis suis.

ASMODÆVS Tob. 6. 7.

ARGUMENTVM.

Raphael genius agit cum Tobia de descendendo in matrimonium, Sara, Raguelis filia. Deinde ubi ad Raguelem pervenerunt, fit matrimonium.

Raphael, Tobias, Raguel, Edna.

Jam tandem pervenimus Ecbatana, Tobia frater. Haec nocte diverteimur apud Raguelem.

Is
q

